

latis probationibus constat, quibus Romanus, et non Antiochenus episcopus ut successori Petri recognoscitur. An vero segregari possit pontificatus ab episcopatu Romano per aliquam auctoritatem humanam, de hoc non conveniunt auctores: magister Soto in iv, distinctione xxiv supra citata tenet id fieri posse, quia existimat conjunctionem illam solum ex potestate ordinaria Petri factam esse, non ex speciali ordine Christi Domini. Qui vero de jure divino illam factam existimant, nullo modo separari posse ab Ecclesia asserunt; magister Bagnez ubi supra, etsi teneat non fuisse factam de jure divino, adhuc est dubius an possit mutari ab aliqua potestate humana, quia sicut inter jus pure naturale, et jus pure humanum, seu positivum mediat jus gentium, quod pro quanto participat aliquid de jure naturali non potest de facili mutari. Ita potest hoc jus Romanæ Ecclesiæ vocari medium inter jus pure divinum, et jus mere humanum, quatenus dependebat aliquo modo a facto, et morte Petri, et pro ea parte qua aliquid participat de jure divino non potest de facili mutari. Quia tamen hoc jus novum videtur, nec satis fundatum, ad Ecclesiæ determinationem se in hac parte remittit.

XXI. Cæterum, quia ista quæstio parum practicabilis est, et magis speculativa, quia tamen absolute non est impossibilis casus aliquis in Ecclesia, quo ipse pontificatus ab episcopatu urbis dividendus sit, ut si ipsa Romana civitas, et consequenter episcopatus illius funditus everterentur nec iterum reædificaretur, ut communiter tenetur ab antichristo faciendum, videtur mihi quod absolute loquendo in Ecclesia est potestas uniendi pontificatum alteri episcopatu, aut illum

sine episcopatu aliquo retinendi, sicut primis quinque annis antequam Antiochiæ Petrus sedem figeret in Ecclesia fuit. Moveor ad hoc, quia ille casus eversionis Romanæ urbis absolute non est impossibilis, et de facto eventurus putatur tempore antichristi; ergo tunc posset pontifex, quia maneret destructa urbe, aut ipsa Ecclesia designare episcopatum aliquem, cui uniretur pontificatus, aut quod sine episcopatu maneret, cum ipsa suprema auctoritas pontificatus extingui non possit, nisi forte diceretur quod tunc Deus per aliquem prophetam revelabit quid faciendum sit, et fortasse id fiet ab Elia, et Henoch tempore antichristi, si tunc Romana civitas evertenda est. Sed hoc est mera divinatio, nec ideo Ecclesia destituenda est potestate providendi sibi in hac materia, si forte talis casus contingeret. Extra hunc vero casum existimo nullum dari posse ita urgentem quod justificare posset istam separationem, nec etiam validam reddere, quia quantumvis necessitas cogeret Romanum pontificem abesse ab urbe Romana, sicut sæpe abfuerunt, tamen etiam extra urbem Romæ possent Romani episcopi manere, dummodo episcopatus ille, et urbis adhuc existerent.

XXII. Ratio autem est; tum, quia est probabile quod illa unio sit facta jure divino: unde si illud jus potest per dispensationem mutari debet esse ex causa urgentissima, quamdiu autem urbe Romana subsistat non potest dari urgentis causa pro illa mutatione, nam etiam sævientibus persecutionibus, et cum cogentur episcopi Romani exulare, aut abesse nunquam judicatum est debere transferri pontificatum ab illo episcopatu. Addo, quod etiamsi ab Apostolis, et non a jure divino facta est hæc conjunctio, adhuc non constat factam ab Apostolis per aucto-

ritatem ordinariam, in qua succedit pontifex, sed verisimile est factam ab illis secundum potestatem extraordinariam, in quantum erant delegati, et primi fundatores Ecclesiæ, ex qua potestate facerent. Sicut autem Apostoli ex munere apostolatus extraordinario, et delegato habebant potestatem, et auctoritatem scribendi Scripturam canonicam, ita ex eodem munere auctoritatem habebant explicandi jus divinum altiori modo, quam nunc explicabatur ab ipsa Ecclesia; unde non videtur mutari posse talis determinatio ab auctoritate ordinaria Ecclesiæ, quæ facta est ex auctoritate apostolica quatenus delegata, et extraordinaria erat, et ad ipsum actum fundandi Ecclesiam pertinebat; ordinaria enim potestas non potest mutare ea, quæ a delegata potestate superiori facta sunt, ut est textus expressus in capite Sunt quia nos de officio et potestate judicis delegati. Quod autem Apostoli tamquam delegati Christi istam conjunctionem fecerint fundamentum habet; tum, quia ille erat actus foundationis Ecclesiæ: Apostoli autem in quantum fundatores Ecclesiæ utebantur potestate delegata, non ordinaria; tum, quia id significat Julius papa in epistola prima loquens de Apostolis: dicit enim, quod Ecclesiam Romanam primatum omnium Ecclesiarum esse voluerunt, et idem insinuat Anacletus epistola secunda. Unde si id voluerunt Apostoli non videtur a solo Petro eam electionem factam esse, sed communicatione aliorum Apostolorum, et ita auctoritate apostolica quatenus delegata, et extraordinaria erat, id esse factum, nec in ea nunc ordinariam Ecclesiæ potestatem dispensare posse.

XXIII. Quod vero attinet ad ea, quæ hæretici afferunt ad probandum incæpisse Romani pontificis

primatum, vel a tempore Concilii Nicæni, aut alterius, vel quod pejus est, ab imperatore Constantino, vel Phoca, jam satis ostensum est quam inaniter dictum sit, cum ab ipsis temporibus Apostolorum per traditiones Ecclesiæ, et patrum, et definitiones Concilliorum, etiam Nicæni, constet Romanum pontificem semper habuisse primatum. Optime ergo Nicolaus I epistola sæpe citata ad Michaellem imperatorem dixit privilegia hujus sanctæ Ecclesiæ a Christo sunt donata, a Synodis non donata, sed celebrata, et honorata: et idem dicendum de imperatoribus, quod ipsi quasi Ecclesiæ Romanæ defensores promulgarunt, et observari fecerunt primatum istum, sicut fecit Constantinus conferens ei etiam temporalia bona, et splendorem quasi imperialem, ut habetur in capite Constantinus, nonagesimasexta distinctione: nusquam vero primatus iste ab aliquo imperatore concessus intelligitur tamquam ab instituyente, et ordinante, sed ut a promulgante, vel defendente, vel ei consentiente. Et Phocas quidem, ut ait Beda libro de temporibus in Phoca, solum ad instantiam Bonifacii papæ jussit, et compulit ut Constantinopolitanus patriarcha non se nominaret primum, seu universalem episcopum, quo titulo etiam tempore S. Gregorii uti voluit, sed declaravit id pertinere ad solum episcopum Romanum. Similiter et Constantinus IV, solum Benedicto II cessit ne deinceps consuetudo illa permaneret, qua expectabatur auctoritas imperatoris ut consentiret electioni, seu creationi pontificis, sicut et alii posteriores imperatores videntur aliquando fecisse, et hoc solum Platina refert.

XXIV. Quod si adhuc objiciatur ab hæreticis id quod habetur in capite Primæ sedis, distinctione cxcix, ubi ex Concilio Africano præcipitur

ut primæ sedis episcopus non appelletur princeps sacerdotum, vel summus sacerdos, sed tantum primæ sedis episcopus, et in capite Nullus, et in capite Eis eadem distinctione præcipitur, quod Romanus episcopus non appelletur universalis episcopus; ergo non est dicendum Romanum episcopum hanc habere supremam auctoritatem. Et confirmatur, quia pontifex judicari potest ab Ecclesia, seu Concilio, nam in casu hæresis deponitur, ut habetur in canone Si papa, xl distinctione, et Concilium Constantiense etiam extra casum hæresis deposuit tres pontifices, Concilium Basiliense deposuit Eugenium IV, et Concilium Sinuesanum deposuit Marcellinum pontificem ex eo solum, quod idolis metu mortis sacrificaverat, ut refert Nicolaus I, citata epistola ad Michaelem; ergo papa non est supremus in tota Ecclesia. Item Honorius I fuit excommunicatus a septima Synodo generali, actione ultima quasi hæreticus Monothelita, quod ut testatur Adrianus I, in octava Synodo, actione vii, et in sexta Synodo, actione xiii, damnatur Honorius ut hæreticus. Similiter Liberius ab Acacio depositus est, et in ejus locum Felix subrogatus, ut testatur Hieronymus de viris illustribus. Respondetur canones illos in primis non loqui de ipsa auctoritate pontificis, sed de nomine, seu titulo, quo non decet appellari, et titulus quidem principis sacerdotum, quia id redolet synagogam, non Ecclesiam decet; titulus autem universalis nimiam ambitionem præfert. Vel secundo, ille canon Africani Concilii non loquebatur de episcopo Romano, cui legem præscribere non poterat nationale Concilium, sed de episcopo Carthaginiensi, qui erat primas inter Africanos; titulum etiam universalis respuit Gregorius; tum, propter patriarcham Constan-

tinopolitanum, qui eo uti volebat, et ipsius Gregorii humilitatem; tum, propter æquivocationem illius vocabuli universalis, nam vel significat universalitatem quasi in causando, vel quasi in essendo. Et licet summus pontifex sit universalis quasi in causando sicut causa universalis, quæ non excludit causas particulares, et proximas, non tamen est universalis in essendo, quasi ipse sit ita universalis episcopus, quod proxime, et proprie sit pastor cujuscumque Ecclesiæ particularis. Et in hoc secundo sensu eam rejicit Gregorius, non in primo, ut ex ejus ratione patet; dicit enim se non esse universalem episcopum, quia sic alii non essent episcopi: quæ ratio non valeret nisi nomine universalis intelligeret talem universalitatem, quæ excluderet proprietatem aliorum episcoporum, et solum haberet illos quasi vicarios suos.

XXV. Ad confirmationem respondetur, in casu hæresis papam postquam ut hæreticus declaratus est esse evitandum ab Ecclesia, et consequenter vel desinit esse caput Ecclesiæ ipso facto, vel ab Ecclesia deponitur: sicut et evitandus declaratur, juxta quod dicit Paulus: *Hæreticum hominem post unam, vel alteram correctionem devita*. De hoc autem infra agemus, nam multi tenent papam, etiam ut personam privatam non posse esse hæreticum, et in hoc casu non procedit objectio, sed quia oppositum est probabilius prima solutio est tenenda. Concilium autem Constantiense deposuit illos tres papas, quia ignorabatur quis eorum esset legitimus, et quia ea conditione electi fuerant ut cederent pontificatui, si ita expediret Ecclesiæ. Unde potuit Concilium cognoscere quis esset legitimus eorum, cum simul tres papæ esse non possent, et si de omnibus dubita-

retur declarare nullum eorum esse papam, quod et fecit. Eugenius autem injuste depositus est a Concilio Basiliensi; unde et tunc desiit esse Concilium legitimum, et cassatum est ab ipso Eugenio, et translatum Florentiam, ibique legitime celebratum est Concilium Florentinum, nec depositio illa facta est cum approbatione, et consensu legatorum pontificis, nec a toto Concilio, de quo postea dicemus. Unde sessiones illæ quæ habitæ sunt in Concilio Basiliensi post illam depositionem ut illegitimæ ab Ecclesia habitæ sunt.

XXVI. De facto autem Marcellini multi dubitant, nam et Augustinus de illo tractans libro de unico baptismo contra Pesilianum, capite xvi, dicit Marcellini crimen etsi a Donastis argueretur, non tamen convinci, nec tenuiter probari: multas quoque rationes, et conjecturas affert Baronius anno Christi 303, quibus illud Marcellini crimen, et illius Concilii acta falsa esse probat. Cæterum etsi demus esse legitima, quia sic ab antiquissimis, et gravissimis auctoribus admittuntur, præsertim a Nicolao I, tamen ipsum Concilium non deposuit Marcellinum, sed dixerunt episcopi: «Tuo te ore judica, nam prima sedes a nemine judicatur.» Extant ipsa acta in tomo primo Conciliorum. Postquam autem ipse se condemnavit, aut declaravit, episcopi subscripserunt in ejus condemnationem, et anathema protulerunt. Quod tamen si de vera excommunicatione intelligendum sit, consequenter dicendum est ipsum Marcellinum sic declarasse crimen suum, ut pontificatui cederet, et sic in ipsum excommunicatio est prolata: si tamen pontifex mansit, quod verius videtur, quia pontifex postea erat, cum martyrio coronatus est, non fuit vere excommunicatus, sed aliquam

suspensionem officii ad tempus, et separationem pro pœnitentia ipse admisit, et Concilium approbavit, et hoc sensu dicitur damnatus a Concilio. De Honorio autem grandis quæstio est, an vere fuerit hæreticus: de quo in sequenti disputatione aliquid attingemus. Et quidem magister Cano libro vi de locis, ipsum nullatenus ab hæresi excusat, non quidem in definiendo, sed ut privata persona; nec enim ipse definivit errorem illum de una tantum voluntate in Christo. Turrecremata libro ii de Ecclesia, cap. xxxix, admittit Honorium damnatum a sexta Synodo, sed ex falsa informatione, atque adeo in eo judicio Synodum errasse; potest enim Concilium errare in quæstione de facto, licet non in quæstione de jure, aut in definitionibus fidei. Bellarminus libro iv de Romano pontifice, capite xi, censet quod quid dicitur contra Honorium in sexta Synodo ab æmulis ejus fuisse ibi insertum, idque dicit testari Anastasium bibliothecarium in sua historia, et sic fateri debemus exemplaria sextæ Synodi in hac parte esse corrupta, et præsertim juvatur Bellarminus ex quadam epistola Agathonis papæ, quæ in eadem sexta Synodo approbata est actione viii et actione xviii, in qua Agatho late ostendit nullum prædecessorum suorum in confirmanda fide defecisse, numeransque, ac damnans eos, qui hæresim Monothelitarum defenderant, qui negabant duas voluntates in Christo, inter eos non numerat Honorium, sed sanctam sedem apostolicam eximit, quod item facit Concilium Romanum, quod ante sextam Synodum sub Martino papa celebratum est in causa hujusmet hæresis. Adde mihi verisimile, et satis fundatum videri quod tradit cardinalis Baronius anno Christi 645, quod Honorius nunquam negavit

duas voluntates in Christo alteram divinam, alteram humanam, sed negavit duas voluntates in ipsa humanitate sibi contrarias, et repugnantes, quales nos habemus propter fomitem peccati; et hoc constat ex illa disputatione celebri inter Pyrrhum, et Maximum monachum, quæ recitatur tomo secundo Conciliorum, post vitam Theodori papæ, in qua cum objiceret Pyrrhus quid de Honorio sentiret, respondit Maximus constare ex epistola quadam scripta a successore Honorii Joanne IV ad imperatorem negasse Honorium duas voluntates contrarias in Christo carnis et spiritus, non duas, alteram humanam, alteram divinam; et quia hoc non ita expresserat Honorius existimatus est ab hæreticis secum sentire, eique talem calumniam imposuerunt. Et sic damnatio illa Honorii supposititia videtur, non a Concilio facta: vel si facta fuit solum sub conditione, aut suppositione, si forte Honorius id senserit, eum damnaverunt; sicut in Concilio Francofordiensi cum Elipandus episcopus Toletanus pro suo errore, quod Christus esset Filius Dei adoptivus adduceret S. Ildefonsum, et Julianum, etc. Concilium vero discutiendo an vere, vel false eos allegasset ex suppositione etiam illos damnavit, tamquam a quibus esset acceptus ille error; cum tamen S. Ildefonsum oppositum tenuisse constet ex libro de virginitate S. Mariæ, libro VII et XI. Eodem ergo modo Honorius damnatus est, si forte damnatus fuit.

XXVII. Ad ultimum quod dicitur de Liberio respondetur in primis S. Hieronymum non dicere quod Acaicius deposuit Liberium, sed quod in tantum claruit quod in locum Liberii Felicem Arianum episcopum constitueret. Et certum est Liberium non esse justè depositum, sed

injustissime in exilium deportatum, ut testatur Hilarius in libro adversus Constantium; Athanasius epistola ad solitariam vitam agentes, et alii auctores historiæ illius temporis. Dum autem exularet, Felix diaconus ejus in episcopum ab hæreticis subrogatur, ut testatur Ruffinus libro primo, capite XXII, qui habetur post historiam Eusebii, et ideo ille Felix dictus est hæreticus, et Arianus, quia hæreticis communicabat, et tunc erat antipapa. Postmodum vero legitimus papa effectus hæresim damnavit. Liberius tamen nunquam depositus est secundum jus quamdiu hæreticis noluit consentire, postea autem cum consensit in damnationem Athanasii, et cum hæreticis communicavit a clero Romano abrogata ejus dignitate Felix electus est, et ipse tunc hæresim damnavit Arianam.

XXVIII. Restabat tractare de secunda parte conclusionis supra in principio articuli propositæ, scilicet quod Romanus pontifex non possit errare, nec aliquis unquam erraverit in definiendis rebus fidei. Et similiter quod hæc potestas pontificia semper sit duratura in Ecclesia. Sed quod attinet ad indeficientiam in fide, et quod nunquam aliquis pontificum erraverit in illa definienda, commodius agetur infra tractando de potestate pontificis in confirmandis Conciliis. Interim sufficit indicare quod sancti patres, et Ecclesiæ traditio communiter id colligunt ex illis verbis Lucæ XXII: *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua*: sic intellexit hunc locum Lucius papa I in epistola ad episcopos Galliæ, et Hispaniæ tomo primo Conciliorum, et Agatho papa in epistola scripta ad imperatorem, et approbata in sexta Synodo generali ut habetur tomo secundo Conciliorum; Felix I in epistola ad Benignum; Nicolaus I epistola ad Mi-

DISPUTATIO II.

DE HIS QUÆ POTEST ECCLESIA IN PERSONAM PAPÆ, UT DE ELECTIONE DEPOSITIONE ET CERTITUDINE PERSONÆ ELECTÆ.

ARTICULUS I.

Utrum potestas eligendi pontificem, et modus eligendi commissus sit Ecclesiæ a Christo Domino?

I. In hac quæstione tres præcipuæ difficultates involvuntur: prima est, de ipsa potestate eligendi, et designandi pontificem, an ista sit commissa ipsi Ecclesiæ, et quænam potestas sit: secunda est, in quibus resideat hæc potestas secundum se, sive de jure ecclesiastico, sive de jure divino: tertia est, an modus eligendi, et determinatio personarum eligentium mutari possit a potestate humana.

II. In hoc dubio communiter theologo distinguunt de potestate designativa personæ per electionem in papam, et de potestate collativa dignitatis pontificiæ. Et hoc secundum dicunt pertinere ad Christum Dominum, quia cum potestas pontificalis sit suprema totius Ecclesiæ, imo et superior ad totam Ecclesiam non potest conferri ab aliqua alia potestate Ecclesiæ. Primum vero pertinet ad ipsam Ecclesiam, si quidem alias non potest commode provideri successor pontificatus; nam si in Ecclesia non esset potestas ipsum designandi, deberet designari a Christo Domino, quod tamen nec in Ecclesia fit, neque fieri humano modo posset, nisi continuum ali-

chaelem; Leo IV epistola ad Petrum Antiochenum; Innocentius III capite Majores de baptismo, et ejus effectus; Bernardus epistola CXC; S. Hieronymus adversus Ruffinum; Cyprianus epistola ad Cornelium papam; et alii multi de quibus infra latius agetur. De duratione vero pontificiæ dignitatis, quam hæretici jam abolitam esse dicunt non est quod multum curemus, cum ipsi solidum fundamentum afferre non possint de tempore quo desierit, aut qua auctoritate mutata sit, et in quale regimen sit translata, cum constet Ecclesiam unam esse, et eandem esse nunc, quæ fuit ab initio: non posset autem esse eadem si non maneret eadem forma regiminis, nec poterat potestas illa, quæ a Christo instituta est in initio Ecclesiæ mutari, nisi ab ipsomet Christo: non est autem unde constet Christum Dominum illam mutasse, quin potius promissiones ejus sine ulla conditione, aut restrictione sunt perpetuæ, nam Matthæi ultimo dicitur: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*: et Matth. XVI: *Super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Si autem mutaretur potestas illa Petri prævalerent adversus illam portæ inferi, illi scilicet qui eam mutarent. Denique I ad Timoth. III dicitur: *Quod Ecclesia est columna, et firmamentum veritatis*. Dicuntur etiam manere fideles Christi Domini usque ad tempus judicii Lucæ XXI: *Propter electos breviantur dies illi*. Et in ultimis temporibus multa scribuntur passim in epistolis Pauli, et Petri, et in Apocalypsi, quibus significatur fidem Christi Domini, tunc adhuc duraturam; si autem fides durabit, etiam et Ecclesia, et consequenter forma regiminis ejus. De hoc autem plura attingemus in sequentibus.